...nnes.
Palatinus Sandomirien.

Biegaszewicz Alberti: Auspicia Sandomiriensis Palatinus Curulis secunda —

AUSPICIA
SANDOMIRIENSIS PALATINÆ CURULIS
SECUNDA,
à meritiſſimo ad eam aſcenſu,
ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI,
D. JOANNIS
COMITIS in Zywiec & Pieſkowa Skała de Wielopole
WIELOPOLSKI,
PALATINI Sandomirienſis, Lanckoron: CAPITANEI, EQUITIS AQUILÆ ALBÆ.
DEDUCTA,
è voto & plauſu
Cracovienſis Univerſitatis,
officioſiſſimô calamô
PER
M. ALBERTUM BIEGACZEWIC,
Philoſophiæ DOCTOREM, ejuſdemq; Regium & Tylicianum Eloquentiæ PROFESSOREM, Collegam Majorem, Eccleſiarum Collegiatæ S. ANNÆ Cracov: CANCELLARIUM, in Chrzanow PRÆPOSITUM.
DESCRIPTA.
Annô Dominî 1752. Die 21. Auguſti.

CRACOVIÆ, TYPIS COLLEGII MAIORIS VNIVERSITATIS.

In Gentilitia Arma
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS.



I.

Unica quam ſpectas eſt ASCIA, Regna tueri
Una poteſt, Orbem condere & una poteſt.

II.

Unicus eſt SONIPES, plures at prodidit Orbi
Trojanô, partu nobiliore Viros.

III.

Stemma PALATINUS ſiquidem conjungit utrumq;,
Patria non ultra quod verearis habes.
Sarmatiæ veteres reparabit STARZA ruinas,
Servandæ SONIPES ſuggeret iſte Viros.

ILLVSTRISSIME
&
EXCELLENTISSIME DOMINE PALATINE.

AUſpicia Palatinæ Sandomirienſis Curulis ſecunda, à meritiſſimo Tuo ad eam aſcenſu, infallibili deducimus argumentô, orbiq; legenda exhibemus Polono. Nec quidpiam veremur ne nos noſtra auguria fallant; cum à ſæculis diſcimus, id Vobis ILLUSTRISSIMI WIELOPOLSCII peculiare eſſe; quòd Excellentiſſimi Nominis Veſtri magnificentiâ, honorum augeatis titulos, ſangvinis æviterno ſplendore illuſtretis trabeas, ſummis in Patriam meritis ſublimetis curules, ſummis virtutibus & prudentiâ, dignitarios ornetis & appretietis faſces. Nullus in Orbe Polono honor, Illuſtriſſimæ Domui Veſtræ non inquilinus, nullus à magnitudine veſtra non ſublimior, ab auitis decoribus non ornatior. A trabearum uſu, trabeati alibi dicuntur honores; quicunq; defereban-

tur WIELOPOLSCIIS, à summa in orbe Illustrissimi Nominis gloria, à præstantissimarum ornamentis virtutum, fuerunt omnes ter beati. Primæ in Regno trabeæ, WIELOPOLSCIAM confluebant ab ævo in Domum, primæ congerebantur curules, primi concurrebant fasces, omnes prosperrimis recipiebantur auspiciis, omnes omine secundissimo. Sub Gentilitiæ ASCIÆ tutamine, ad Reipublicæ decus, ad Senatûs ornamentum, ad orbis Majestatem Poloni fovebantur: Avito SONIPEDE, ad perennantis culmina gloriæ, ad publicæ felicitatis provehebantur fastigia. Hæc ipsa Sandomiriensis, quam ILLUSTRISSIME PALATINE conscendis Curulis, hic ipse Palatinus quem Magne Senator capessis honor, à tot ILLUTSRISSIMIS de Domo Tua Senatoribus, gestatus ad gloriam, ornatus ad ipsorum usq; invidiam honorum, cum non unum sæculum, sub Asciæ præsidiis vicerit, non una Olympia STARYKONIO decurrerit SONIPEDE, lætissimis ad Te Domumq; Tuam auspiciis redit. Indue ergo felix SENATOR ILLUSTRISSIME Purpuram, à Majoribus tuis toties ornatam, imple curulem à Divis Aboriginibus toties possessam, à devinctissima semper WIELOPOLSCIANO Nomini Universitate Cracoviensi optimis plenam auspiciis paginam, JOANNES gratiosus admitte.

AUSPICIA
PALATINÆ CURULIS
SECUNDA.

Io triumphe Sandomiria!
Bonas alites nec explora ampliùs, nec implora.
WIELOPOLSCIANUS SONIPES,
& Nomen tibi *PALATINI* Jllustrissimum,
& omen cum *PALATINO* auspicatissimum vehit.
Anceps nimiùm augurii ratio,
seu à garritu avium petita,
seu à volatu.
Certiori longè regnatricis fortunæ eventu,
suus Dario Imperium spopondit SONIPES,
cum orientem festivo hinnitu consalutavit Solem.
Nimirum
ambiguos Prœnestino Numini passus,
rota volucris fecit,
fugam celerem volucrum dederunt alœ.

B Rapax

Rapax vulturum agmen,
Romæ quidem condendæ prima tulerat auſpicia.
Idem ipſe magis infeſtus, quàm dexter ales,
frequenti in tabernaculum devolans foro,
Punici quo tota conflagraverat Italia belli,
malum nuntium egit.
Longè plùs demum,
in Gabio & Piſone Conſulibus,
florentiſſimarum viſcera Provinciarum arrodentibus,
paludati Romam afflixerunt vultures.
quàm olim
circa condendi initia imperii,
vel boni dederunt ominis
vel tulerunt auſpicii.
Ut non ſolas jam Phænices.
raras dicas in Orbe aves,
inter tot alituum ſpecies quæ auſpicata ſit,
eſt admodùm rara.
Una Ægypto ſalutifera Ibis,
unus in mari prænuntius tranquillitatis alcyon.
At verò
Vultures, Harpyiæ, Stymphalides,
animata illa ſepulchra inexpletæq; voragines,
fætida gentium terrâ mariq; lues,
quid uſpiam boni ominis, vel felicis augurii dederint?
Feralis bubo haſtæ Pyrrhi copias contra Argos moventis inſidens,
ſiniſtræ portentum extitit fortunæ.
Eadem funeſta avis,
dum Capitolinas invaſerat Ædes,
Urbs tota, piacularibûs debuit luſtrari ſacris.
Jo de-

Jo demum triumphe Sandomiria!
deferendæ cum Palatinis fascibus fortunæ tuæ,
non fallaces boni ominis alites,
sed dexterrimus WIELOPOLSCIANUS instat SONIPES.
Formandis hùc auguriis,
non Calchas ullus, aut Aristander vocandus.
Sessori Domino gentium habenas, indubio eventu promisit Bucephalus.
A discriminatis equi pedibus Cæsar,
ab ardente in naribus flamma Tiberius,
certissima ad Orbis Imperium auguria sumpsit.
SONIPES WIELOPOLSCIANUS,
tam dexter publicæ portitor fortunæ,
quàm indefessus magnorum togâ sagoq; gestator Virorum.
Secundis ergò assurge auspiciis,
& Sessori Domino, & Sonipedi suo,
Palatina Sandomiriensis Curulis.
Implevit te quondam
PETRUS SZAFRANIEC,
tuorum in numero Palatinorum secundus.
Cælo auspice,
Diisq; ipsis spectatissimæ virtuti ultro faventibus,
replebit idem origine,
idem sangvine;
ab Illustrissimo Nomine,
meritîs & virtute secundissimus,
IOANNES
WIELOPOLSCIVS.

AUSPICIUM I.

A VETUSTATE ILLUSTRISSIMÆ FAMILIÆ.

Illuſtrium Familiarum vetuſtas,
authoritatis in Regnis ſingulare,
optimorum pro Regnis ominum grande argumentum.
Sangvinis enim propaginem
vetuſto ducere ab ævo,
immortalitatis inter mortales quædam rimula,
auſpicatiſſimi honoris ſequela maxima.
Datus ſemper ſuus antiquitati honor,
Sacerrima eſt vetuſtatis reverentia.
Sæculorum hæc omnium,
quemadmodùm gloria, ſic cura maxima fuit,
ex antiquiſſimis prodiiſſe.
Macedo propterea ridiculè,
memoriam Patris in Jove Hammonio amiſit,
* memoriam hominis Cajus ſceleratiùs exuit.
Tolerabilior ille,
qui propaginem generis, quã qui ſe ipſum retulit inter Deos.
Illuſtres profectò Geneſes,
præcellentiam ſuam bonæ Lucinæ debent, authoritatem vetuſtati.
Clariores nobilium ceræ, quæ minùs liquent.
Aviti ſplendores tunc majores videntur,
cum non in veſtibulo proſtant, vel ſpectantur in propatulo.
Nobiliſſimis natalibus, tantò plus æſtimationis accedit,
quantò longiùs à temporum memoria recedunt.
Princeps fluminum apud Ægyptios Nylus,
quòd inveſtigabiles ortus habeat.
Sacra Numinum ſupremo quercus,
cujus ſenium ſæcula præveniunt.

* *Bieżanovius in Purpura Senatoria.*

Divum

Divûm Parens Saturnus,
quòd cunas ejus, nemo in terris viderit.
E veſtigio præmiſſorum.
Temporibûs ſuperiorem ipsîs,
Illuſtriſſimi Palatini Familiam,
admirare Sandomiria.
WIELOPOLSCIA equidem in Orbe Polono Domus,
æviterna magìs, quàm antiqua,
perennior potiùs, quàm vetuſta,
duratione ſua ætates vicit, ſæcula ſuperavit.
A quo dici & eſſe Illuſtriſſima cæpit,
nec luſtra referre poſſunt, nec luſtrorum myriades.
Vetuſtatis ejus teſtimonia requiris?
ASCIAM & balteatum intueare SONIPEDEM,
non uno antiquitatem ex monumento colliges.
STARZA & STARYKON
duplicis ſcuti vocabulum,
utrumq; de venerando Domûs ſenio admonet.
Aſciæ ea ferè, quæ & falcato tempori origo.
Albentem Equum, niveo colore ſæculorum canities aſperſit.
Vtraq; hæc arma,
grandævam vetuſtate Domum indicant.
STARZA tamen STARYKONIVM antiquitate ſuperat.
Connitebantur Hiſtoricorum calami,
ut ad ea pervolarent tempora,
quæ Aſciam & condendo parem,
& defendendo ſuffecturam protulerunt Orbi.
Temeritati pennarum, caſſus ceſſit in pænam labor.
Orbem Polonum alius, redigere in tomos potuit,
non ASCIÆ ſæcula ad calamum.
Plurimum nihilominus de antiquitate ejus,

 ſcripſiſſe

ſcripſiſſe viſus,
cum id solùm ſcripſerit;
* *Originem armorum ob inpercomputabilem annorum ſeriem inveſtigare impoſſibile.*
Vel ſola ergo inaſſequibilis vetuſtas,
WIELOPOLSCIANÆ Bipenni
pro omni immortalis gloriæ ſufficit monumento.
Triumphalis ASCIA,
famam ſæculorum vicit, dum ſuperavit memoriam.
Numæ de cælo cum ancilibus tranſmiſſam,
tam ſecurus dixerim, quàm certò Secures,
& indices Majeſtatis, & Imperii vindices,
apud priſcos fuiſſe Romanos conſtat.
Ancilibus etiam antiquiorem fuiſſe credo,
* quòd eam prima in Orbe nobilitas, pro inſignibus delegerat.
Lydiæ, Tunedorum, Græcorumq; Principibus,
*Regnatricis virgæ, Sceptriq; vice delata;
ut tot Regum exercita manibus,
aptior condendæ Polonæ Monarchiæ Architecta fieret.
Actum id,
Jovene dextro, vel Junone ſecunda? ne quæſieris.
Maſculæ enim virtuti,
Dii omnes Suffragia ferunt,
ut Regna faciat, ubi non invenerit.
Advenæ in Sauromatiam cum Lecho TOPOREI,
ex vaſta Colonia, peramplam Poloniam fecerunt.
Patriæ ſuæ Authores prius, quàm Alumni.
Fundârunt cum Lecho Regnum, ut ſuccederent,
ſucceſſerunt & Lecho & Regno;
cum inter XII. Palatinos, primi Poloniam gubernârunt.
Quantam ejuſmodi Civibus non detuleris gloriam?
quibus ea feciſſe licuit, quæ & Regibus;

* *Okol: tom: 3.* * *Petra ſanta in teſſeris Gentilitiis* * *Pierius & Ariſtoteles apud Okolſcium*

Patriám

Patriam nempe ad libitum,
& ex quæsita Regnum Patria.
Coætaneos Poloniæ dicerem,
ni cum Conditore Principe,
sæcula exegissent in puncto,
ut primam illa inciperet ætatem.
Satiùs proinde,
priores Poloniâ, & in Polonia restat dicere primos.
Alterum plantandi cooperatio Regni,
alterum plantati gubernium evincit.
STARZONES aliis, aliis undenam STRAZONES dicti?
* nonnemo Historicorum quæstionem movit.
Respondens Oedipo Davus,
priùs vocabulum, ad Familiæ vetustastem maximam,
ad primam custodiendi Regni dignitatem,
posterius retulit.*
Noscite posteri!
immortales esse in Regno Familias,
quibus TOPOREI spiraculum;
antiquitate, honoribûs, & factîs primas,
quibus sua Starzæ initia dederunt.
E Bellonæ vestigio,
si Pallas subintrâsset Poloniam,
& Lechitarum primîs, ille fuisset literarum usus,
qui armorum fuerat:
quotquot Polonia Toporeos habuit, habuisset profectò
tot annales.
Quisq; illorum Achilles fatigâsset suum Mæonidam.
Quisq; Stilicon suum Claudianum.
Ignara verò literarum antiquitate,

* *Anonymus de quo Cromer L. 3. f. 32.* * *Okolscius*

fastos supplêrunt factis, Heroùm maximi.
Antequam acta scriberentur in Polonia,
egerunt TOPOREI scribenda.

Vetustissima Origine

omnem prævenerunt Lechiadem,
factîs præoccupârunt fastos,
gestîs in Regno titulîs,
omnes Regni annales.
Multorum ex illis Nomina,
cùm non attigerint Historici,
noscendos ex gestis posteritati tradiderunt.

Admodùm

Heroum clarissimos, si à temporum oblivione
calami non vindicaverint, ipsa vindicat fama.

TOPOREOS

quòd infans Polonia nominare non posset,
evulgavit adultior, quales coluerat infans.

Alias

Lecho cum Principe,
fundatæ Monarchiæ socios,
in Palatinorum duodecemviratu,
bellacissimæ gentis Principes,
legum Dictatores permagnos,
Gubernatorum suorum primos.
Quantum illis deberet,
seu ablactata in cunis,
seu demum grandescens & integrata in Monarchiam,
vel

vel exinde colligere potes;
quòd maximam ditionum suarum partem,
in TOPOREOS diviserit.
Divisisset profectò
& ipsum in singulos Solium,
nisi singuli distinctò digni fuissent.
Ad magnitudinem STARZARUM,
ut secutura à titulis devenirent sæcula;
Magnos Comites
in Præginia, Panigrod, Xiąż, & Luknia
prima vocarunt.
Comes virtutis honor,
maximis virtute, maximis meritô,
non aliter venisse in Comitatum poterat,
nisi venisset in Magnum.
Ipsis Dignissimos Sceptrîs,
primi ambiebant & ornabant fasces,
Peda, Clavæ, Scipiones.
Gesserunt Clavas
clarissimi bellacis populi Duces,
Ducum bellicosissimi,
SETHEGIVS, & SANDIVOGIVS.
Parum arbitrati:
Ducere exercitum, nisi facerent.
Contra Lithavos, Ruthenos, Valachos,
ad Graboucum, Horodlo, Sevolossam,
* septem legionibûs Polonas auxerunt copias.
Portârunt Archi-Præsuleas Cruces,
STEPHANUS ARCHIEPISCOPus Gnesnensis,

* *Cromer Lib: 14. Miechov: Lib: 4. Okol: tom: 3. fol: 14.*

 Pontificia

Pontificia peda
LAMBERTUS CRACOVIENSIS EPISCOPUS.
Cracovienses, Sandomirienses, Calissienses,
CASTELLANAS & PALATINAS
possederunt, implêrunt, ornârunt Curules,
SIECIECHVS, STEPHANVS,
JANVSSIVS, NOVAGIVS,
ZEGOTA & OTTO.
omnes TOPOREI, omnes suîs Curulibûs Majores.
Metire exinde,
quantum vetustissimæ huic Familiæ
& Patria debuerit & Ecclesia,
cui utraq; tantùm detulit, quanto plus non potuit.
Nascens certè Polonia,
TOPOREORUM ASCIÆ Cunas,
adultior Arces & fortalitia adscribit.
Triumphalis hæc ab ævo Architecta,
seu quidpiam conderet, seu demoliret.
Condidit eâ *NOVAGIUS* Tencinium,
Tremesnensem, Wagrovecensem,
Sieciechoviensem Ecclesias alii.
STEPHANUS ARCHIEPISCOPUS
* idola prostravit, fana evertit, delubra demolivit.
Quid ergo moliris calame?
Nisi totum Polonum Orbem in puncto descripseris,
nunquam satis de TOPOREIS scribes.
Aude
magna modis tenuare parvis.
Ad maxima Palatinæ Sandomiriensis Curulis Auspicia,
dicere sufficiat:
TOPOREOS WIELOPOLSCIORUM Primopilos.

* *Janicius in Descriptione Archiepisc: Gnesn.*

AVSPI-

AUSPICIUM II.

A GLORIOSISSIMO STARYKONIO INSIGNI.

A Gentilitiis *STARZÆ* decoribus,
ad glorioſiſſimum STARYKONII Inſigne,
convola calame.
Æquè venerandus à ſenio SONIPES,
prout ab antiquitate ASCIA.
Utrumq; avitum Illuſtriſſimi PALATINI decus,
utriq; vectigalis eſto,
ab utroq; ſecundiſſima Palatinæ Curulis,
auſpicia ſume.
ASCIA cum SONIPEDE,
res omnino diverſæ,
niſi in Stemma WIELOPOLSCIUM veniſſent.
Adeò
peculiare eſt, Jlluſtriſſimæ huic Domui:
ut
quæ alibi diviſa, collecta teneat.
Mirare quod majus!
ipſa hic fuit diſcordia concors,
& diviſio unionis parens;
ut in avitum unius Familiæ decus
plura coaleſcerent arma.
NOVAGIUS, SETHEGIUS, ZEGOTA,
unius STARZÆ Parentis Filij,
uniti affectu, donec lare diviſi paterno.
Exercendorum armorum causâ,
ZEGOTAM

 quòd

quòd heroici pectoris ardor, evocaverat in Germaniam,
germani reducem abnegârunt Fratres.
Longa absentis mora, longæ litis occasio.
Celerrimus tam ad obsequia Regis,
quàm ad Tribunal SONIPES,
cùm liti finem fecisset, novo initium Stemmati dedit.
Quo dexterrimo pede
hostium colla in Germania calcavit,
victoris scutum ZEGOTÆ incurrit.
Invisus Fratribus Heros, quia diu non visus.
Abnegatus à suis,
pro STARZYO dici voluit ZAPRZANIEC.
Medio fratrum exclusus è pectore,
Asciam ferre non poterat in scuto medio.
Nequaquam verò
in avita Majorum arma injurium dixeris.
Triumphali bipenni
locum alium describi voluit, non eam à Stemmate proscribi.
Fata tunc ipsa,
cum in pessum agerent egerunt peroptimè.
Architectam Regni Dolabram,
è medio dimovendo scuto,
super coronam evexerunt.
Discat hinc orbis,
quàm minimum fortunæ
magnos in Heroes liceat.
Sors viris invida fortibus,
ZEGOTAM quoq;
Heròëm in Germania clarissimum,
dum avita posessione exuere vellet,
novis

novîs gentilitiîs adornavit decoribûs.
Istius à novitate Stemmatis,
novam ne deducas Familiam.
Mutato Jnsigni, eadem omnino extitit,
ad differentiam Stemmatis nihil discrepavit,
continuata deinceps, non recens orta.

Armorum novitas,

Auxit ZEGOTÆ gloriam,
auxit vetustissimæ decores Familiæ,
non Familiam immutavit.
STARZYI, & STARYKONII,
diverso sub Nomine,
Jllustrissima unius Lucinæ propago,
unius arboris surculi,
unius conchæ gemmei partus,
idem demum utriq; etiam antequam dicerentur
quòd WIELOPOLSCII.
Authoritate, opibûs, honore,
virtute, meritîs, & gloriâ
maximos STARZONES omne in Polonia sæculum vidit.
ZAPRZANECCIOS,
prima statim quà cæperunt ætas,
in PETRO ZAPRZANECCIO,
CRACOVIENSI SUCCAMERARIO,
Principes nobilitatis adoravit.
Primus ille Equo pro Insigni usus,
Equestri in Ordine primas tenuit.
Angularis Nominis SZAFRANECCII lapis,
Filium etiam PETRUM reliquit,
qui Illustrissimum Nomen,

E   Magna

magna ſtabiliret progenie,
factis gloriam solidaret.
Aureus è Petra profluxit torrens,
JOANNES à PETRO Parente ZAPRZANECCIUS.
Sandecenſis itidem CASTELLANUS.
Unicum niſi Nomen,
Patrem ſecerneret à Filio;
vel filius ante vixiſſe in Patre,
vel Pater viſus fuiſſet poſt vixiſſe in Filio.
Iiſdem in Patriam claruit uterq; meritis,
uterq; par armis Marcello,
par conſiliis Fabio,
eodem Senatorio honore eminuit,
eandem Caſtellanam Curulem poſſedit.
Poloniarum faſti,
non multa ZAPRZANECCIORUM Nomina
poſteritati reliquerunt legenda,
ſed imitanda à poſteris,
facta quàm plurima.
Seniumne Viri?
an vocabuli corruptio,
SZAFRANECCIUM peperit Nomen?
ſit penes Hiſtoricos Diſputatio.
A duplici meritorum canitie ortum ego dixerim,
prior illa fuit, quam ZAPRZANECCII
in SZAFRANECCIOS,
áltera, quam SZAFRANECCII,
transfuderunt in poſteros.
PETRUS SZAFRANIEC
primum hujus excellentiſſimi Nominis guſtum
Civibus ad æſtimationem ſummam,
Regibus fecit ad delicias.

Omnes

Omnes hostium Patriæ assultus,
infractus ut Petra vel sustinuit, vel elisit,
* Petrâ exinde redonatus à Rege.

In binione Filiorum,

JONNE & PETRO, in Pieskowa Skała COMITIBUS,
adeo illustris visus Genitor,
quemadmodum geminis Sol in Parelliis.
JOANNES ni SUBDAPIFERI esset,
dictus fuisset omnium Charitum proles.
Avitas Domûs Jllustrissimæ Ceras,
cùm admovisset sacris, illustriores effecit.
Cathedralis Cracoviensis *DECANUS*,
Coronarum primò ternionem appretiavit se ipso,
appretiaturus post hac Jnfulas.
Ut justissimè diceres
Nemo major surrexit JOANNE,
triplici in Regno,
Literario, Ecclesiastico Patrio,
maximus fuit,
* Rector, Præsul, Minister.
Palmam Ei etiam præ ipsis Poloniæ Ducibus,
non immeritò detuleris,
qui prior Orbem eruditum rexit,
* ut post hac Duces regerent.
Gratias antequam à Regum Throno loqueretur,
jam Regiis exhibuerat Musis.
Cum rudior quoq; antiquitas,
non alios Diis eligeret Flamines nisi doctos.

* *Comes in Pieskowa Skáłá a Ludovico factus* * *Ex manuscript: Acad: Rector Universitatis Annô 1404.*
* *Ibidem. Alexander DUX, Masoviæ Vladislai Jagelonis ex Sorore nepos, Rector Universitatis An: 1422.*

Altaria quæ fundavit SZAFRANECCIUS
* Doctorum esse voluit.
A Vavelli Coronis,
ad majus Regni Sigillum assumptus,
gemmeus pro Rege Orator,
pòst Vladislaviensis Insulæ gemma,
nullô satis appretiandus elogiô.
Sex non amplius annîs
Vladislaviensi Diæcesi præfuit,
profuit tantùm, acsi præfuisset millenis.
Senator, Antistes,
à summis in Patriam & Ecclesiam meritis;
nostrarum dulce decus Mæcenasq, Musarum,
Magnifico memoratissimus à regimine & beneficiis.
PETRVS SZAFRANIEC,
Cracoviensis *PALATINUS*,
secundam in Regno Curulem,
primîs de Regno & obtinuit, & implevit meritis.
Togâ clarissimum & Sagô,
Palatinis juncta fascibus, Imperatoria monstravit clava.
Magnus Senator, magnos in bonū Patriæ promebat sensus,
DUX Exercituum Supremus
fortissima vibrabat arma, in acie pro Patria.
Sub Vladislao Iagelone
tâm gloriosus contra Crucigeros Bellator,
quàm ad eos Legatus;
Triumphum de illis duplicem egit,
alterum cùm pervicaces, armîs ad Tucholam vinceret,
alterum cum victos ad Regis obsequia deduceret.
Superstes postquam esse desineret,
nec vivere desiit, nec vincere.

* *Altare S. Bartholomæi in Cath: Crac: Eccl:*

Egit

Egit utrumq; in Magnis Filiis,
utroq; PETRO SZAFRANECCIO,
altero Cracoviensi, altero Regni SuCCAMERARIO,
Neocorcinensi CAPITANEO.
Auxerunt Magni Patris gloriam, non degeneres Filii,
sibi gratias Regum cumulârunt, Cives optimi.
Implet tandem paginam, titulîs,
qui fastos impleuit factîs
STANISLAVS SZAFRANIEC,
Becensis primò CASTELLANVS, Leloviensis CAPITANEVS,
CASTELLANVS, & posthac Sandomiriensis PALATINVS.
Ipsæ Sellæ Curules,
ipsi de STANISLAO decertâsse visi honores.
Nec tamen honores quos obtinuit,
nec quas possedit Curules,
correspondenrunt factis,
adæquârunt PALATINI meritis.
Sub duobus Polonis Regibus,
AUGUSTO & BATOREO,
continuus Martis Poloni comes,
indivisus tam bellorum socius, quàm triumphorum.
Se uno Bellatore eximio,
cùm tota posset facere castra,
* lecto suis stipendiis milite,
Polona ad Possoviam auctiora fecit.
Utraq; manu publicæ allaborabat fortunæ,
alterâ hostilem fundebat sangvinem,
alterâ aurum in militem.
Cæsarem ex utroq; dixisses,
seu avitâ uteretur Asciâ, seu provcheretur Sonipede;

* *Okolscius Tom: 3. fol: 76.*

F Illâ

Illâ victrices Regibus ſtruebat Obeliſcos,
* Regno erigebat fortalitia.
Sonipede hoſtium proterebat capita,
ut Polonam & fortunam erigeret & gloriam.
Vnicum duntaxat reliquit *PALATINUS* Filium
ANDREAM Lelovienſem *CAPITANEUM*,
ſed in uno omnium Bellatorum compendium.
Paternarum hic virtutum ex aſſe hæres
factîs & bellica Patrem æquavit virtute.
Sub Mieleccio glorioſiſſimo Duce,
Moſchorum ad Socolum & Polociam,
malleus, terror, flagellum,
quàm heroo pollerent *SZARANECCII* ſpiritu
oſtendit.
Memorant plures alios faſti.
Becenſes & Viſlicienſes *CASTELLANOS*,
Regni & Cracovienſes *SUCCAMERARIOS*,
potiſſimùm PETROS Nomine,
quibus & ſi nullum ſcripſiſſent elogium,
vel hoc ſolùm ſuffeciſſet,
quòd fuerint SZAFRANECCII,
alias
genere, virtute, factîs ſemper magni,
Illuſtriſſimi WIELOPOLSCIANI Nominis.
ANTECESSORES MAXIMI.

* *Arcem in Pieſkowa Skálá.*

AUSPI-

AUSPICIUM III.

AB ILLUSTRISSIMIS WIELOPOLSCIORUM ET COLLIGATIS NOMINIBUS.

Hactenus purpuratos libâsti fontes,
nunc ipſum purpurarum deguſtabis Oceanum penna.
Enavigatis fluminibus, maria occurrunt,
poſt tranatos amnes, imminet undarum Regnum.
Prævius aurorarum ſplendor Soles orituros nuntiat,
ex gemmarum multitudine coronarii conflantur orbes,
ex florum copia genialis hortorum ſurgit Majeſtas.
Poſt alios Planetas, ævi Parens aurei venit,
quod ſiderum ſuccedit Orbibus.
Sublimius illis & lucidius eſt Firmamentum.
Quot Illuſtriſſima eousq; Nomina,
reverentialî attigiſti ſtylô calame,
totidem WIELOPOLSCIORVM Familiæ,
præfluxerunt ut purpurei latices Oceano,
præfulſerunt ut radii luminum fonti,
præiverunt ut auroræ ſoli,
præluſerunt ut gemmæ & uniones coronæ,
ut Planetarum Orbes Firmamento.
Imò verò
unumquodq; fuit trabeati ſangvinis Oceanus,
grandis nativæ lucis alveus,
meritorum & virtutum ſplendore Phæbus,
gemmea Patriæ Corona,
ævi in Polonia aurei Parens,
ſupra mobiles Planetarum Orbes,
à forti & inconcuſſo inter adverſa animo

Cælum fixum.

Parva plerumq; magnorum solent esse initia
exiles multi fuêre antequam magni,
præviæ debent parvitati, quòd creverint,
depressi more sagittæ, antequam in altum evolaverint.
Attollunt se ut Apennini colles, sed tumuerunt ex atomis,
frontem Cælo cum Cedris inferunt,
ast primò repuerunt cum virgultis.
Nomina Regum vindicant cum liliis, sed non purpuram,
æstimantur ut gemmæ,
cùm nonnisi maris ejectamenta sint, & plorantis Cæli lachrymæ.
Illustrissima WIELOPOLSCIANA Domus,
tam grandis omnî sæculô fuit,
ut magnitudini ejus exilitatem, tenuitatem amplitudini,
splendori umbram objicere non possis.
Quotquot enim EXCELLENTISSIMæ hujus Genesis Viros,
colligere & numerare ex fastis licuit,
omnes in Sago Coclites, in campo Scevolæ,
in acie formidandi Agamemnones,
in toga Consi Catones, & Patres Patriæ.

Omnes

suis dexterrimi pro Regibus, ut Stylicones pro Theodosiis,
avita pro libertate imperterriti Cassii
pro Patria Hectores, pro Religione Pompilii,
omnes honorum trabeîs ornatissimi,
Comitum titulis excellentissimi,
omnes WIELOPOLSCIANO Nomine Magni,
congenita virtute majores, utroq; maximi.
Veniunt adoratorem sub calamum,
PETRUS BOCHNAR Becensis CASTELLANUS,
NOVAGIUS Cracoviensis SUCCAMERARIUS,
NICOLAUS, JOANNES in Pieskowa Skała COMITES.
primi

primi in Wielopole Hæredes,
exinde WIELOPOLSCIANI Nominis Auctores primi,
tam calamîs superiores omnibûs, quàm elogiîs.
Memorant fasti,
STANISLAOS, ACHACIOS, FELICES,
de WIELOPOLE
WIELOPOLSCIOS,
quorum heroica facta, in Reges obsequia, in Patriam merita,
tunc paginæ capere possent, cùm abirent in fastos.
Deflectit stylum vectigalis penna,
ad GASPARUM COMITEM in Pieskowa Skała
WIELOPOLSKI,
Illustrissimi *PALATINI* Abavum.
Regio GASPARI sub Nomine,
& animum regium, & virtutes detulit Regibûs dignas.
Primis meritissimus de Curulibus,
in castris consenuisse maluit, quàm in Senatu.
Moschis, Orienti, Cosacis,
magnæ Bellator venerationis, quia terroris maximi.
Bellonæ miles, Astreæ Arbiter,
utroq; gloriosissimus titulô;
sive rem armis cum hostibus, sive lites cum Civibus decerneret.
Cracoviensis *SUCCAMERARIUS*,
cum recti limites nunquam excesserit,
famâ & gloriâ excessit Polonos.
JOANNES COMES in Pieskowa Skała,
WIELOPOLSKI,
ex Woynicensi *CASTELLANO*
Siradiensis, mox Cracoviensis *PALATINUS*,
ILLUSTRISSIMI PALATINI PROAVUS;
tot Senatoriis titulîs illustris, sed meritîs longè pluribûs.
Tantum de Patria meruit, ut non plus aliquis,

tantùm

tantùm de Ecclesia, quantum nemo.
Miles, Legatus, Senator,
armîs, eloquiô, consiliô Patriæ profuit;
Iudex Arianorum,
pientissimo fervore & zelo Ecclesiæ.
Utraq; manu triumphalis,
unâ Patriæ hostes, alterâ DEI proscripsit è Polonia.
Post altam sub VLADISLAO IV. pacem, ævumq; aureum,
ferream, quæ successit, ætatem
calamus meminisse horret.
Fata omnia conjurâsse tunc diceres,
ut ab ipsis Poloniam subverterent cardinibus;
Vltima Regni timebatur periodus, quæ ab ingentibus cæpit puncturis.
Moschi, Cosaci, Sveci, Gotti, Vandali,
Hunni, Pannones, Transylvani,
hostium colluvies ingens, ingens Poloniæ ruina.
Ukraina, Czerniechovia, Volchynia, Podolia,
Russia, Pokucia, Prussia, Livonia,
aliæ avulsæ, aliæ direptæ, aliæ interceptæ;
Tam funesta divisio, quid non extremum portenderet?
Actum profectò fuisset de Polonia,
ni pro illa *WIELOPOLSCIUS* egisset.
Ut vinci possent, qui jam Regnum inter se diviserunt,
armorum unio omninò quærenda erat.
Delectus ad tam arduum munus
W I E L O P O L S C I U S,
confecit faciliùs negotium, quàm sperari poterat.
Primò ad *FERDINANDVM III.*
ad *LEOPOLDUM I.* secundò,
augustissimos Imperatores Romanos,
pro impetranda armorum societate LEGATUS.

plus

plus obtinuit, quàm petiit:
Cæsareas nempe Polonis socias ad bella Aquilas,
Sibi S. R. I. Comitis titulos.
Mensuram sume posteritas!
Quantus *WIELOPOLSCII*
in Patriam amor? quanta in Regem obsequia?
Geminavit in Legationes sumptus, geminavit labores,
ne Patria, ne longiùs Rex ingemisceret:
Quanta oris felicitas?
devicit amica ad officia
Imperatorem eloquiô,
ut Imperatoris milite Rex hostes vinceret.
Dignus profectò fuerat talis Mercurius,
Coronâ pro Galero, Sceptrô pro caduceo.
nisi quòd multò digniùs, elegisset;
Sceptra & Coronas defendere, quàm tenere.
Facundissimo Mercurio
disertus pariter successit Cyllenius.
Patri Filius, JOANNI JOANNES,
Comes in Pieskowa Skała idemq; primus in Zywiec
WIELOPOLSKI,
Supremus Regni *CANCELLARIUS*,
Tuus Illustrissime *PALATINE AVUS*.
Polonus ille pro Regibus Cyneas, hic à Regibus.
Supremô hoc *CANCELLARIO*,
Signatoriæ Ceræ in Attica mella diffluebant,
dum ille verba funderet:
dum Regni annulum manu ferret, ore gemmas protulit.
A JOANNE TERTIO Poloniarum Rege,
ad LUDOVICUM XI. Galliarum;
Serenissimam quoq; Venetarum

ad Rempublicam Legatus,
magnæ utrobiq; æstimationis, sed non minoris invidiæ Orator,
quòd liliatos in Regno Liliorum Hercules,
togato in Senatu omnem Eloquentiæ togam,
eloquiô vicit, facundiâ superavit.
Millenas extero Orbi locutus gratias,
in LUDOVICO, JOANNE & FRANCISCO Filiis,
trinas Polono reliquit.

Quomodo verò

præmatura terrarum gaudia deperiat Cælum, & qui super mortalium assurgunt dotes, celeriùs ab imortalitate rapiantur;
in duobus CANCELLARII Filiis, dolens Polonia vidit.
LUDOVICUS Orbem famâ victurus erat,
ni eum fata nimis citò vicissent.
JOANNES futurus Regum Præcursor,
propera morte præventus.
Quem Patria immortalem voluisset,
nec in ALEXANDRO Filio Opocznensi CAPITANEO,
diu excors Libitina superstitem fecit.
Magnorum compendium decorum
diutiùs spectavit Polonia,
In Illustrissimo & Excellentissimo Domino,
FRANCISCO COMITE in Zywiec & Pieskowa Skala
de WIELOPOLE
WIELOPOLSKI,
è Siradiensi, Cracoviensi PALATINO,
Minoris Poloniæ GENERALI,
Cracoviensi, Lanckoronensi, Zarnovecensi,
Premykoviensi CAPITANEO,
primo de WIELOPOLSCIIS,
MARCHIONE in Mirow GONZAGA MYSZKOWSKI,
tuo ILLVSTRISSIME PALATINE Magno Genitore.
Tot tituli scribendi erant, ut *Illustrissimum* Patrem vix innuerem.

Dicere

Dicere de eo quis suffecerit? cum & innui vix possit.
A nulla virtute non maximus,
à nullo titulo non excellentissimus.
Palatinos detulit fasces, dignus detulisse & Regios.
Summa Personæ Majestate Senatoriam ornavit Curulem,
non dedecorâsset & Solia.
Minoris Poloniæ *GENERALIS*,
de toto Poloniæ meritissimus Orbe.
In pluribus Regni Præfecturis monstravit,
quàm aptè & ipsi poterat præesse Regno.
Quantô verò majus,
prodesse Regnis, quàm præesse,
tantô plus WIELOPOLSCIO ad gloriam,
quòd miles in Castris, in Senatu Consus,
in Tribunalibus Judex, in Comitiis Nuntius,
armîs, consiliô, æquitate, prudentiâ & eloquiô
quàm plurimum Polono profuerit.
Dignam Regibûs eloquentiam,
â Patre *CANCELLARIO* Regni Supremo,
à CONSTANTIA, CHRISTINA KOMOROVIA,
Comitum de Liptow & Orawa Filia,
ZOARDI Regis Hungarorum Electi Patritia Nepte,
Prncipum Caraffarum, ac ex ea Familia,
PAULI IV. Summi Romani Pontificis Sangvine juncta,
DONATI Venetarum Ducis proximo nexu colligata,
Magna sui Genitrice,
Regum cum derivâsset sangvinem;
ad INNOCENTIUM XII. Pontificem Maximum,
& JACOBUM Angliarum Regem,
à JOANNE III. REGE Poloniarum LEGATUS,
auditus ut Regum Orator, æstimatus ut Regum sangvis.
Amore in Patriam, fidelitate in Reges,

Senator ſæculô ſuô, nemini ſecundus.
Ex THERESSIA, ILLVSTRISSIMI CAROLI TARLO,
Supremi Regni *CANCELLARII* Filia,
ſua primi voti Conſorte;
in *Illuſtriſſimo ac Excellentiſſimo Domino*
CAROLO GONZAGA MARCHIONE in Mirow.
MYSZKOWSKI,
Supremo Stabuli Regni *PRÆFECTO*,
Minoris Poloniæ *GENERALI*,
Cracovienſi *CAPITANEO*;
in Te ipſo,
PALATINE ILLUSTRISSIME;
in THERESSIA Sacratiore ad ignes Seraphicos Veſtali;
ex *Celſiſſima ac Illuſtriſſima PRINCIPE*,
Comitiſſa in Wiśnicz & Jarosław
ANNA LUBOMIRIA,
Conſorte tori ſui ſecunda,
in HIERONYMO COMITE in Zywiec & Pieskowa Skala,
Regni Poloniarum Pincerna,
Exercituum *GENERALI*,
Zarnovecenſi, Premykovienſi *CAPITANEO*,
pulcherrimam Nominis ſui & gloriæ coronam nactus.
Illuſtriſſimo Fratrum Tuorum Magne Senator pari,
millenîs vellet famulari elogiîs calamus,
ſed nullum par adinvenit.
Fulget in CAROLO priſca WIELOPOLSCIORUM virtus
ad Orbis Poloni delicias,
ſapientia ad conſiliorum oracula,
affabilitas ad Civium amorem,
MY-

MYSZKOVIANI Nominis Majestas,
ad Domûs Jllustrissimæ pompàm,
ad venerationèm omnium magnam.
Carissima Magni Marchionis pignora,
FRANCISCUS, IGNATIUS, JOSEPHUS,
ex ILLVSTRISSIMA ELISABETHA
Illustrissimi & Excellentissimi IOSEPHI S. R. Imperii *PRINCIPIS*,
Comitis in Magna Konczyce & Osłownica,
Vandalini MNISZECH Supremi Regni MARESCHALCI,
CASTELLANI demum Cracoviensis,
Senatorum in Regno Principis Filia,
LUDOVICÆ de MNISZCHOVIIS
Illustrissimi JOSEPHI à *Potok* POTOCKI,
DUCIS Exercituum Supremi, Cracoviensis *CASTELLANI* Consortis,
Germana Sorore suscepta,
maxima Patriæ expectatio, honorum ingens desiderium sunt.
CONSTANTIA, LUDOVICA, MARIANNA,
URSULA MARCHIONISSÆ,
omnium excellentissimarum dotum, omnium decorum,
quæ aliquando Dii in Pandoram contulerant, compendia.
HIERONYMUS Regni Pincerna,
bellica virtute magnos Poloniæ superavit Gradivos,
pares nunquam habiturus.
Armorum gloriâ Romanos vicit Marcellos,
purpuratîs consiliîs victurus Fabios.
WIELOPOLSCIANO Nomini
POTOCCIANUM Illustrissima in Consorte sociavit,
ut in duobus universam ferè se videret Polonia.
Stupeas vectigalis calame!
citiùs ipsum luminum exhausisses fontem,
quàm Patritios Illustrissimi PALATINI splendores.
Totò Erytrô fluit purpuratus WIELOPOLSCIVS Sangvis,
totô protenditur Oceanô amplissimi Nominis Majestàs.

H2 Regna,

Regna, Imperia, Provinciæ,
in unam hanc Illustrissimam convenerunt Domum.
Sanctissima Summorum Pontificum Solia,
augustos Regum Hungariæ thronos,
togatum Venetarum Senatum,
Viceregias Celsissimi moderni Primatis Curules,
CONSTANTIA prima Paterna *AVIA*,
altera MARIANNA MARCHIONISSA de Arquian,
Serenissimæ MARIÆ SOBIESCIÆ Soror Germana,
Mantuæ, Montis-Ferrati, Cliviæ,
Niverniæ & Rhetelliæ Ducales,
Regias in Polonia Majestates,
Fasces, Sceptra, Coronas,
Nepoti *Illustrissimo PALATINO* detulit.
Marchionalis è vestigio Nominis
quidquid soles externi Celsissimum, Magnificentissimum,
imò quidquid Serenissimum spectant,
PALATINUS GENITOR;
TARŁOVIA MATER,
quidquid in Polonia antiquissimum, in Senatu primum,
in Regno excellentissimum,
aliàs
Scipiones, Clavas, Peda, Infulas,
CANCELLARIIS magno Filio consignavit Cerîs.
Auget splendoribûs splendores
Illustrissima THERESSIA *PALATINA*.
JABŁONOVIO cum Nomine,
quidquîd in Orbe Polono togâ sagoq; ornatissimum,
quidquid in Galliarum Regno spectatissimum,
quidquid in Imperio Celsissimum,
Princi-

Principes nempe mitras,
purpuras, trabeas, titulos,
aurea quoq; Auguſtiſſimorum Regum vellera,
ornando *PALATINO* Honori defert.
Ampliſſima Nominis & virtutum
quibus Illuſtriſſima *PALATINA* excellit decora,
diſtinctas eaſq; maximas panegyres efficerent.
Nominis ad magnificentiam
dicere ſufficit, quòd IABŁONOVIA ſit,
STANISLAI JABŁONOVII Cracovienſis CASTELLANI,
Magni Exercituum DUCIS,
Chotimenſibûs, Viennenſibûs, Cudnovienſibûs trophæîs
clariſſimi Bellatoris Neptis;
ALEXANDRI JABŁONOVII
Supremi Regni VEXILLIFERI,
& Celſiſſimæ PRINCIPISSÆ,
THEOPHILÆ de SIENIAVIIS,
non minor magnis Parentibus Filia:
JOANNIS TerrarumRuſſiæPalatini,Neptis exFratre;
STANISLAI PALATINI Ravenſis,
Ordinis Sancti Spiritûs & Aquilæ albæ;
CAIETANI Czecherynenſis CAPITANEI,
Velleris aurei EQUITIS;
DEMETRII Covelenſis CAPITANEI, Patruelis:
JOSEPHI ALEXANDRI M. D. Lith: DAPIFERI,
à CAROLO ſeptimo Imperatore Romano,
S. R. I. PRINCIPIS creati,
&
HEDVIGIS WORONICIÆ Kiiov: CASTELLANÆ,
Soror Germana;
à ſumma in Deum pietate orbis exemplum.

Divos Cæli in Indigetes.
ferventissimam *TERESSIÆ PALATINÆ* devotionem,
muta licet Beati CANTII nostri marmora;
manum Ejus auream, auro textis pro ornamentis,
Matertera Collegiata in Basilica ANNA;
misericordiam pupillæ, liberalitatem viduæ,
munificentiam pauperes, beneficentiam Religiosi loqvuntur cætus.
Uno JOSEPHO Filio sat felix *PALATINA* Mater,
qui tenera in ætate, jam tantus virtute & eruditione,
ut tam virtus quàm eruditio, se ipsam in adolescente stupeat.
Non dispares à Fratre Sorores, Filiæ à Matre,
FELICIANA, SALOMEA, ELISABETHA;
Ille ad maximam orbis Poloni gloriam,
hæ ad Illustrissimorum expectationem Nominum crescunt.
Collige calame!
quid hic pro Palatina non auspicatum Curuli?
ubi omnia augusta, splendida, & magnifica.
Secundissimo cursu KOMOROVII defluunt Amnes,
TARŁOVIANA Bipennis, publicæ architecta fortunæ,
LUBOMIRIUS SRZENIAVA, Regnorum mitras, gemmas virorum vehit,
GONZAGARUM AQUILÆ, fulminum in hostes ministræ,
MYSZKOVIANI ALITES optimi ominis nuntii.
JABŁONOVIANÆ FALCES aurei parentes ævi.
Quotquot demum Celsissima
DUCUM WISNIOWIECCIORUM, RADZIVILIORUM,
CZARTORYSCIORUM, SANGUSCIORUM,
quotquot Illustrissima
PRZYŁĘCCIORUM, MNISZCHORUM, POTOCCIORUM, OGINSCIORUM, PILECCIORUM, MAŁACHOVIORUM, HUMIECCIORUM, OPALENIORUM, KONIECPOLSCIORUM, ZEBRZYDOVIORUM, LIGĘZARUM, LESZCZYNIORUM, KOSCIELECCIORUM, WIELOGŁOWSCIORUM, DĘMBINSCIORUM,
SARBIEVIORUM, CHOMENTOWSCIORUM,
POŁUBIENIORUM &c. &c. &c.
proximo affinitatis colligata nexu Nomina
Illustrissimum ad PALATINUM spectant,
tot auspicatissimi sunt,
PALATINÆ CURULIS
& splendores & decores.

AUSPICIUM IV.

AB ILLUSTRISSIMI PALATINI VIRTUTIBUS.

Magna Nomina, omina magna,
magnæ virtutes auſpicia maxima.
Priora fuerunt à Nominibus,
nihilo tamen minùs ſecunda, quæ poſteriora ſunto.
Cara enim enim Deorum propago virtus,
Deos quomodo non habeat faventes?
Omnia penes hunc bona penes quem illa.
Præſtantibus Viris quòd negligere virtutem conceſſum non ſit,
ſi nullus aliùs, vel tu ſolus
PALATINE ILLUSTRISSIME
& Te ipſo evinceres.
Virtutis Tu equidem guſtum
primo cum lacte hauſiſſe videris,
vel ipſa tibi abiiſſe in naturam.
A faſciis Tecum creſcebat ad Faſces,
à cunis adoleſcebat ad Curules.
Habitus eſt illa alibi, in Te una Tecum ſubſtantia,
Accidens alibi,
comparatu difficile, ſeparatu facillimum,
In Te idem quod Tu ipſe,
tunc nonniſi poſſet ſeparari à Te,
cum Tu â Te ipſo ſejungi.
Solem Tu agis, illa radium,
lucidiſſimam tu cryſtallum, illa diaphanum,
roſam Tu hortorum Principem, illa purpuram.
Etiam cum radii à ſole, diaphanum à cryſtallo,
purpura poſſet avelli à roſa,
necdum virtus ſejungeretur à Te.

 Et ſolis

Et ſolis illa morem, & fontis gerit;
communicat ſe per radios, diffundit per rivulos,
prodigium factura orbi;
ſi ſe totam in hominum aliquem effunderet.
Exinde
alii fortes Leonidæ, alii Æneæ magnanimi,
alii clementes Trajani, alii Solones eruditi,
ſinguli aliàs
aliqua excellentes virtute, nullus omni.
Te ſolum
ILLUSTRISSIME PALATINE
iſto Superi donârunt privilegiô,
ut diſperſa per omnes, Tu collecta teneres
excellentiſſimarum ornamenta virtutum.
Convenerunt in Te ſingulæ,
ut radii in ſole, rivuli in fonte, gemmæ in corona.
Compendium omnium es, & abſolutiſſima Ilias.
Ad depingendas una in imagine ſingulas
ſi penicillum Apelles ſumeret, Te pro exemplari darem.
Vectigali verò calamo dum ſcribendæ veniunt,
niſi par illi ſit, quô ſuas ſcripſerat Cæſar, ſcribi ſatis non poſſunt.
Magnitudine earum & numero
ILLUSTRISSIME SENATOR,
exceſſiſti omnem calami capacitatem, omnem ſtyli copiam.
Magnas Illuſtriſſimis accepiſti à Majoribus,
ut maximas faceres;
alias excellentiſſimæ Lucinæ debes, alias Tibi:
Candor animi,
magnanimitas cordis, pectoris generoſitas,
jure Tibi WIELOPOLSCIANO venerunt cum Nomine.
Qua parte Tui nobiliore emines,
animo nempe Divino, ſublimi & excelſo,
illius quæ in ornamentum ſapientia venit, Tua eſt.

Enixo

Enixô eam ſtudiô aſſecutus es, & curîs seriis.
Primatum in Te ut teneret, primam pro ea impendiſti ætatem.
Juvenilibus ab annis ſeriò conſuluiſti Muſas,
ut ad Patriæ conſilia, ad Senatûs oracula ſaperes.
Coaleſcunt ex punctis lineæ, ex guttis torrentes,
ex artibus, diſciplinis, & ſcientiis ſapientia.
Hæc ut Tecum maturuiſſet,
totus in artibus, totus in ſcientiis ab adoleſcentia fuiſti.
Conduxiſti in præſidium ancillas,
ut orbis dominam in ſolium animi magnificentiùs deduceres.
Eruditi lumen ingenii alieno plurimi à foco mendicant,
totum Sapientiæ profectum ponentes in eo, ſi exteros videant ſoles,
quaſi verò oculi eſſet ſapere, non animi.
TU PALATINE ILLUSTRISSIME,
dum Excellentiſſimum Nomen per aliena deferres Regna,
Literarum Regnum detuliſti Tecum, non quæſiiſti.
Exteros reviſiſti Soles,
eo eruditi animi conſpicuus lumine,
quod illi magis in Te inviderent, quàm Tu expeteres ab illis.
Orbem priùs animô complexus eras, quàm aſpectu.
Urbes, Regna, Provincias,
antequam viſas, jam optimè habuiſti perſpectas.
Amplitudo earum, diſtantia, ſitus, magnificentia,
priùs tuam Geographicis ex mappis in notitiam venerunt,
quàm ipſæ in oculos.
Gentium quas necdum videras, jam apprime inſtituta noveras & mores.
Quæ Regna perluſtraturus ibas,
jam eorum regiminis formas, vires, & potentiam explorátam habueras.
Quibus necdum cohabitaveras populis,
eorum genium ſic callueras & indolem,
acſi te iidem cum illis Dii ablactâſſent Penates.
Gentium ergo ubiq; & Regnorum
non minùs gratô excipiebaris hoſpitiô, quàm affectu,
cum ſola perſonæ præſentiâ hoſpes,
indole, genio & idiomate
indigena ubiq; videreris & concivis.
K *Viderunt*

Viderunt in Te gravitatem suam Germani,
majestatem Itali, elegantiam Galli, industriam Hollandi,
authoritatem Veneti, elegantiam Neapolitani,
singuli nativas sibi, in Te videndo dotes,
æstimabant ut Tuas, amabant ut suas.

Philosophiæ & Gymnasticæ, Siennæ in Toscania,
Prudentiæ Juris Lovenii in Brabantia impendisti animum,
egisti utrumq; non quòd discendi palæstrâ,
sed exercendi scita theatrô,
inter paria excelsæ menti ingenia, opus haberes.

Redux ab exteris,
grandibûs omnium virtutum processisti vestigiis,
ut Palatinam auspicatissimè ad Curulem ascenderes.
Laudatissimo hoc in stadio,
nondum deficere, sed nec cespitare Tibi unquam licuit,
ducem & magistram agente,
quæ singularis in Te *ILLUSTRISSIME PALATINE* elucet

P R U D E N T I A.

Geminæ Matres
perfecta rerum gestarum scientia, felici earum sociata memoriæ,
pepererunt Tibi tam nobilem filiam,
quæ demum omnium mater esset virtutum.
Frontem Jani duplicem etsi nemo affinxisset prudentiæ,
adhuc illam in Te habuisset geminam.
Ante & retro rebus in agendis *prospicis*,
attendis ad præterita, consideras futura,
nil perinde devium agere potes, cùm omnia bis oculatus agas.
Non vulgaris est Prudentia Tua;
prospectas ultra præsentia, attingis quæ necdum attingi queunt,
vides, quæ necdum tempus videt.
Providus ante opus, circumspectus circa opus & cautus,
felix & gloriosus post opus.
Incipis ab eo quod ultimũ, cunctaris in medio, hæsitas nunquã in ultimo.
Quam in consiliis admittis, moram ab executione excludis.
Statuis diu, quod facturus es semel.
Negotiis Tuis omnibus
honestatem publicæ utilitati junctam, præfigendo pro fine,
omnia finem ad laudabilem deducis,

JUSTITIA.

JUSTITIA.

Ariſtidi, Soloni, Licurgo,
magnas Juſtitiæ partes detulerat antiquitas,
deferimus Tibi PALATINE ILLUSTRISSIME maximas.

Æquitatis enim ſtudio
cum nulli ſecundus ſis, etiã primos illius ſuperâſti cultores.
Neminem lædere, unicuiq; quod ſuum reddere,
proprium juſtitiæ, peculiare Tibi.
Ab ipſa ad hoc quaſi formatus natura eſſes,
cum neminem lædere ſcias, læſus facilimè ignoſcere ſoles.
Si non ex Philoſophi ſenſu, ex Tuo eſſet exemplo:
Optimum injuriarum remedium oblivio.

Ab his inferendis
remotum Te æquitas, ab ulciſcendis bonitas fecit alienum.
Præmia quæ diſtribuis, ipſa non aliter diſtribueret juſtitia,
quam mercedem, quæ ſtipendia reddis, non aliter ipſa redderet.
Partiri Tuam juſtitiam liceat,
una illa eſt & multiplex:
una ut in Te nobiliſſimo ſuo reſidet ſubjecto.
Alia verò quâ cultum DEO debitum, & quæ ſunt DEI DEO reddis.
Alia qua debitos Patriæ teſtaris amores.
Alia quâ fidelitatem Regi, patriis obſervantiam legibus,
proximo charitatem, Concivibus tenerrimam
dilectionem exhibes.

FORTITUDO.

Aggredi magna, ſuſtinere ardua,
nonniſi cordatiſſimis hominum, & Tibi ſingulariter conceſſum
PALATINE ILLUSTRISSIME.
Agis utrumq; pro WIELOPOLSCIANA magnanimitate,
agis pro inconcuſſo generoſiſſimæ mentis robore.
Nulla Te rerum molimina terrent, nullæ curæ perturbant.
Maximis conatibus, parem animum geris,
maximis oneribus pares humeros.

Nullus Te cæpto ab opere retrahit labor, nulla difficultas dimovet.
Non cuilibet licet adire Corynthum,
Non quavis manus solvendo nodo Herculis par.
Ingentibus nonnisi animis, palmaria facinora contingunt
Licet Tibi ad effectum deducere, quæ nec tentare pluribus.
Parvus plerumq; obex, grandem portam claudit, ne pateat ingressus,
elephantes belluarum maximos, unius musculi occursus sistit,
modica spina Leonem detinet ne procurrat.
Generosissimo animo Tuo
maxima quæq; rerum obstacula minima sunt.
Ubi aliquid communi pro bono agendum venit,
dexter opus aggrederis, pergis imperterritus, animosus procedis.
Suscipis pericula ut commoda, suffers damna ut lucra,
discrimina pro emolumentis reputas.
Non onere gravaris, non fatigaris labore, non conficeris tædio,
agis magnanimè, patienter, constanter, fortiter.

T E M P E R A N T I A.

Majorne fortitudo bellica, an temperantia in Trajano fuerit?
dubium sæculis reliquit Plinius.
In Te PALATINE ILLUSTRISSIME, cum aliæ quibus fulges virtutes
eminentes sint, est pariter temperantiæ virtus eminens.
Illius Tu consilio.
proscripsisti damnosum Tua ab Aula, qui regnat in aulis luxum,
Magnificentiam & prodigalitatem, cum disparata esse noveris,
omnia pro magnificentia, nihil pro prodigalitate agis.
Illius pares dum Imperio, nullis passionibus pares.
Dominam Tu, constituisti illam, fecit illa Te Regem Tui.
Illi dum obsequeris, dominaris Tibi & liberrimus es.
Uteris enim animi dominiô, appetitûs servitiô.
Quam pulchram in Te Monarchiam hæc virtus instituit?
Sceptrum & clavum intellectui tradidit,
inferioribus potentiis frænum & catenas reliquit.
Sereno Cælo similimus es,
omnia in Te tranquilla, composita, paccata, nihil rebelle, nihil turbidum
Nullum ab oculis fulgur, nullum tuo venit ab ore fulmen.
Nullo iræ incalescis æstu, nullo livore ferves.
Rarissimo inter homines exemplo,
liberrimam voluntatem, rationis gubernio subigis,
ancillas potentias in officio continens,
frænas sensus effrænes, domas indomitas, affectiones,
maximis gloirosior Victoribus, dum es Victor Tui.

PIETAS,

P I E T A S.

Cedite Romani Numæ!
tot superstitionum Authores, quot Simulacrorum cultores.
Appage ethnica pietas, cum Tua
PALATINE ILLUSTRISSIME,
sancta, Catholica & DEO placens imminet.
Videri Tu illam nolles, sed non videri nequit, quam Cælum videt.
Optimè reputans;
Maximum esse incrementum, coram Supremo imminui Numine,
profundissimè Te demittis, dum debitam Deo in adorationem assurgis.
Omne bonum à DEO, omne datum optimum desursum,
altissimi pro rectitudine judicii dum æstimas;
Tua animi, corporis, & fortunæ bona Divina magis fateris, quàm Tua.
Esse, vivere, operari,
quod immortali accepisti à Numine,
soli illius gloriæ impendis perenni.
Dona quæ in Te manârunt à DEO, in hunc bonorum omnium
refundis fontem.
Refundis Latreutico cum cultu, ut in Dominum Supremum,
Eucharistico, ut in liberalissimum Largitorem.
Authorem Universi & Tuum,
forti profiteris fide, veneratione colis exemplari.
Affunderis Divinis altaribus supplex, Majestatem adoras prociduus.
Sacris frequentissimus interes, & nisi quæ sacra sunt cogitas.
Ingrederis Templa, curas sæculi deforis manere jubes.
Effundis preces Creatori Tuo labiis, amore Ejus totus diffluis,
Oratio Tua non solùm est oris, sed & cordis.
Alloqueris sæpiùs Deum sine loquela, precaris sine voce.
Et gratius est Illi verbum mentis quàm oris,
Qui solus est mens purissima.
Nec sufficit Tibi hæc agere;
et carissimam Sobolem ad similia allicis, & aulam nobilem concitas,
ex Apostoli monito:
Suorum & domesticorum curam habens.

Hinc est,

quòd DEUM impensè colens, facilè experiaris propitium.
Annus est, ut Te gravis preserat morbus,
& Palatinā ingressurū Curulem, lecto affixerat.
Fortis erat infirmitas, fortior Tua pietas,
validus morbus, sed validior Oratio.
Quid tunc illâ Tuâ in DEUM charitate ardentius?
quid perfectissima æternam in voluntatem resignatione rarius?
Nec Palatina placebat Curulis, nisi hoc DEI fuisset placitum.
Nec vivere libebat, nisi sic DEus vellet.
Ingravescebat febris ardor, flagrantior erat DEI amor.
Lassabaris ægritudine, Cælum innumeris fatigabatur precibus.
Illustrissima PALATINA Conjunx,
Thaumaturgis Salvatoris altaribus, gratiosæ Virginis aris,
venerandis Divorum Regni Indigetum bustis,
continuò affusa, pia suspiria,
innocens Prolis nobilissimæ flos dulces gemitus,
supplex aula uberes dedit lachrimas,
ut optimus Maritus, Pater, Dominus,
pristinæ reddereris sanitati.
Divina redditus ope, ut orabant omnes, precabantur singuli,
Marianas Cracoviæ & Kobylanenses Crucifixi,
Arenenses, & Częstochovienses Deiparæ Virginis,
Cantianas D. JOANNIS ad aras,
profundissimas gratias, pientissimas preces,
pretiosam supellectilem, & splendida reddidisti anathemata.

LIBERALITAS.

Tacente calamo,
Liberalitatem Tuam *Magne Senator* plurimi loquuntur alumni.
Nata Tecum gratiositas, nata liberalitas.
Dictus es JOANNIS nomine, futurus gratiarum dispensator;
dicendus eras Eleemosynarius, munificus eleemosynarum largitor.
Cum verò dictus non sis, acclamatur nunc, quòd sis omnino talis.
Occultas eleemosynas tuas quis enumeret?
arcanas Tu illas voluisti esse,
quòd Ipse sis grande liberalis misericordiæ arcanum.
Publicas sileri cum maximè velles, minimè possunt, quòd sint publicæ.
Prominent Piis in Montibus, prostant in Hospitalibus.

inter

Inter Claustrorum silentia vocales,
post imminutos Nosocomiorum gemitus, magis loquaces.
Nullus fere pauperum ordo, qui Te non apellet PATREM,
nulla religiosa Domus, quæ suum BENEFACTOREM non acclamet.
Citissimè hominum miseriis moveris, succuris celerrimè.
Juvas inopiam opibûs, egestatem beneficentiâ.
Hæredia Tua dividis cum DEO, partiris cum pauperibus.
Splendent in illis ornatissima Templa,
videntur crebra Hospitalia.
SALVATORI Domino
Basilicam *in Kobylanka* Domum, manus Tua munifica fecit
Opus Salutis super fulgentes marmore Aras evexit,
pretiosîs Palatina Consors, apparamentîs ornavit,
tam pulcherrima liberalitatis industriâ, ut dum se largiús effundit,
Thaumaturgæ Redemptoris effigiei, cultum incomparabilem,
confluentibus ab undiq; hominum millibus, innumeras gratias,
Tibi perenne in lucro referret meritum.

AFFABILITAS.

Amoris in Te publici, fortis hæc illecebra.
Devicisti hominum corda singulari humanitate Tua.
Occupasti animos incomparabili animi benevolentiâ.
Æstimabilem Te qualitates aliæ, affabilitas fecit amabilem.
Omnibus Te illa dum communicat, collegit Tibi affectus omnium.
Alienum es magis bonum, quám Tuum.
Bonitate cordis omnibus, placiditate frontis singulis,
effusus, patens, amabilis.
Nemini accessum negas, neminem Tuo arces á colloquio.
Magneti similis est affabilitas Tua,
illud præter ferrum, paleas trahit,
Tu pro dignitate Tua Illustrissimô septus consortiô,
pro bonitate minimorum votis & desideriis non dees.
Solis instar est vultus Tuus & Soli dissimilis.
Spargit radios in omnes, sed neminem perstringit.
Fontis admodum est, sermo Tuus affabilis,
emollit dum diffluit, agit amabiles cuniculos
etiam in durissima, dum diffunditur;
penetrat svavitate oculta, quod vis nulla penetrasset aperta.
Non solus Tullii eloquentiam, comitas triumphalem fecerat;
dati sunt triumphi & Tuo comi eloquio,

dum in Generalibus Regni Comitiis Legatum Grodnæ ageres, illo tuæ eloquentiæ genere, illa sermonis affabilitate, quæ omnium animos, gratissimo abripuerat torrente.

MODESTIA.

Famam virtutis hujus,
neq; summis attribuendam mortalium, & à Diis æstimari,
* Romanus censuit Historicus.
Singulari Deorum privilegio,
hæc Tibi ILLUSTRISSIME PALATINE concessa,
tribui debet etiam studio Tuo.
Magno Tu conatu in alias cum incubueris virtutes,
in hanc tutricem & conservatricem omnium incubuisti maximo.
Ademisti fidem Salustio dicenti:
Contemptor animus & commune superbia Nobilitatis malum.
Antiquitate Familiæ, Lecho Conditori coævus,
Genere XII. Gubernatores Regni Palatinos attinens,
Sanguine Regibus & Principibus affinis,
WIELOPOLSCIANI excellentiâ Nominis sublimis,
Palatinis Fascibus & Curuli excelsus,
non origine tumes, non genere & affinitate inflaris, non honore attolleris,
humanus in omnes, civilis in singulos, actione permodestus in omni.
Admisisti Palatinum honorem non ambivisti;
acceptasti Curulem, ut in isto primæ dignitatis Stallo,
majorē merendi de Patria, obsequendi Concivib9; minuendi onera populis,
campum nanciscereris & Provinciam.
Progredere ergo fortunatus
PALATINE ILLUSTRISSIME.
Senatoria in purpura serenos ducito dies.
Vivas sub fascibus longævùm securus,
emine in Subsellio fatis omnibus superior.
Tuus ad Palatinam Curulem Ascensus,
Patriæ & Palatinatui amplissimo, bonorum omnium,
Tibi Ipsi,
altiorum in Regno Curulium, secundissimum sit

AUSPICIUM.

*Tacitus 15. Annal.